

gicis leges sanxerint easdem atque severissimas, ne minimum quidem licentiæ illis permittunt, ac, si vel latum unguem a regula deflexerint, non se intra æstheticæ animadversionis modestos fines continent, sed statim involant stricto calamo, obliti in antiquariorum, non in auctorum peccata sibi jus esse. Jam si quid, ut in anapæsto, abundaverit, ferro et igne coercent; si quid, ut in rarissimo illo trochæo defecerit, suppleant vel litera adscititia vel etiam syllaba; si forsitan pes tertius et quartus, in unam conflati vocem, delicatiores auriculas læserint aut venatores oculos adverterint, versum totum rumpunt et ejus membra disjiciunt: ut taceam tot circa quintum pedem, post Porsoni elegantissimam observationem, molimina; aliaque id genus non pauca. In talibus lenissima sunt remedia, vel nulla. Veteres linguas tractanti hodiernarum